



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Anthologia Sacra**

Ex Probatissimis Vtrivsqve Linguæ patribus collecta, atque Octastichis  
versibus comprehensa

**Billy, Jacques de**

**Parisiis, M.D.LXXV.**

Filiali timore Deo seruiendu[m] esse. 85.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50828](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50828)

S A C R A

quando hostis oppugnat, nec expugnat. Ac rurſū alio loco: Qualeſcūque poteſt diabolus ad malū inuitare, nō poteſt trahere. Delectationē infert, nō poteſtatem. Conſiliū ingerit, non cōſlictum.

Filiali timore deo ſeruiendū eſt

85.

*Clamores lupus horreſcens hominūque canūque,  
Cogitur in celerem ſe dare ſepe fugam.  
At licet innocuo, non dentem inſingat ouili:  
Vt venit ipſe tamen, ſic abit inde lupus.  
Huic ſimilis planè eſt, metuens qui tartara ſolum,  
Crimina, non recti ductus amore, fugit.  
Iunctum etenim querulo cum murmare, cumq; timore  
Obſequium magno diſplicet uſque Deo.*

SCHOLIA.

*Clamores lupus*) Duplex timoris genus eſt, vnum ſeruile, alterum filiale. timor filialis in Scriptura magnopere commendatur, et tum demum locum habet, cum anima non pœnæ metu, ſed peccati odio, ac ſincro Dei amore

ab iis omnibus abhorret, quibus ipse offenditur. Contrà seruilis ille est, qui cū charitate nihil cōmune habet, nec aliud quicquā animæ proponit, quàm æternæ pœnæ terrorē, eāque omni prorsus illa libertate priuat, quæ germanorum Dei filiorū indiuidua comes esse solet. Atque huc spectat, quod in suo Pastoralis Gregorius ait: Si adhuc à praua actione formidata pœna prohibet profectò formidātis animū nulla prorsus libertas tenet. Nā si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quā ligat seruitus timoris. Bona enim pro seipsis amanda sunt, & nō pœnis cōpellentibus exequenda. Nā qui propterea bonū facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, vt

*Tertia  
part. ad-  
mon. 14.*

audacter illicita committat. Unde luce clarius constat, quod coram Deo innocentia amittitur, ante cuius oculos desiderio peccatur. Augustinus etiam in Psalmos scribens idem ait, atque a lupo similitudinem his verbis ducit. Bonus ille est, qui, & quando potest mala facere, non facit. De quo scriptum est, Qui potuit transgredi, & non est transgressus: & facere mala, & non fecit.

*Tract.  
in Psal.  
93.*

*Eccle. 31* Quis est hic, & laudabimus eum. Fecit enim mirabilia in vita sua. Loquebatur Scriptura de potentibus innocentibus. Et lupo enim tantum vult nocere, quantum leo. Dissimiliter nocent: sed non dissimiliter cupiunt. Leo enim non solum contemnit canem latrantem, sed etiam fugat, & venit ad ouile, & obmurescentibus canibus rapit quod potest. Lupus

non audet inter latratus canum.  
 Nunquid propterea, quia non  
 potuit auferre, canibus territus,  
 innocentior remeavit? Docet er-  
 go Deus innocētiam: & quisquis  
 innocēs sit non timore pœnæ sed  
 amore iustitiæ. Tūc enim liber est  
 innocēs & ver⁹ innocēs est. Qui  
 autē timore innocēs est, nō est in-  
 nocens, quamuis nō noceat cūm  
 vult nocere. Non enim nocet al-  
 teri per effectum malum, sed sibi  
 plurimūm per cupiditatem ma-  
 lam. Nam quomodo sibi noceat,  
 audi Scripturam: Qui autē amat  
 iniquitatem, odit animam suam.  
 Quin idem etiam alio loco in  
 eandem sententiam ita loquitur:  
 Qui timore pœnæ non concupi-  
 scit, puto quia concupiscit. Ter-  
 rore ingenti armorum, atque re-  
 lorum, & circundantis forsitan  
 multitudinis, vel obuiam euntis,

*Psal. 10.  
 De ver.  
 Aposto.  
 Serm. 15.*

SACRA

etiam Leo reuocatur à præda: &  
tamen Leo venit, leo redit. Præda  
non rapuit: non malitiam posuit.  
Quid malum est pœnam timere?  
Quis enim non timet? quis latro?  
quis sceleratus? quis nefarius?  
Quod autem de leone ait, idem  
de lupo quoque postea dicit.

Exigendam esse vitam nostram  
ad Dei legem, non ad alio-  
rum normam.

86.

*Q*uid iuuat egrotum, ferro dum membra secantur,  
Cernere quem morbi vis magè dira premat?  
Quid iuuat immersum vitis, & crimine fedum,  
Cernere noxa quibus sit numerosa magis?  
Ethiopes inter sic fuscus se putat album:  
Sic balbo in mutis manat ab ore lepos.  
Sic inter nanos se iudicat ille gigantem,  
Qui magnos inter nanus habendus erit.

SCHOLIA.

Car. I. *Quid iuuat egrotum*) Gregorius  
Nazianz. hac similitudine osten-  
dit eos misero consolationis ge-